

1284. Apud Renum quidam surrexit dicens se esse Fridricum imperatorem et similis ei dicebatur; qui postea concrematur a rege Rudolfo 1285.

1286. Muldorf civitas a duce Heinrico restituta est episcopo Salzpurgensi, quam anno priori expugnaverat. Aves in Austria repentina morte moriebantur. Discordia orta est inter duces Bavarie ex victoria Paulsdorferii contra Satelbogarium et dapiferum de Eckenmul et incendia diversa inter eos tam apud Swaben quam alibi; que concordavit rex Romanorum.

1288. Tonitrua in die S. Stephani circa nativitatem Domini sunt per multas terras audita. Henricus Moguntinus archiepiscopus, qui fuit de ordine minorum fratrum, subitanea morte obiit.

1290. Ludwicus iunior dux Bavarie occubuit in tornamento. Item rex Ungarie occisus est, cui tunc successit comes de Ast. Item frater regis Ungarie submersus est et sic prevaluit iste comes de Ast. Item Rudolfus episcopus Salzpurgensis obiit; cui successit dux Bavarie Steffanus. Sed missis nunciis Romam videlicet Conrado tunc episcopo Laventensi cum multis aliis super confirmatione eiusdem Stephani dominus papa ipsum reprobavit et dictum Conradum Laventensem episcopum per se ipsum in archiepiscopum Salzpurgensem ordinavit, magistrum Henricum prothonotarium et canonicum tunc Salzpurgensem iurisperitum similiter ordinans ecclesie Laventensi.

1291. Rudolfus rex obiit.

1292. Dux Otto Bavarie invasit Stiriam contra ducem Austrie et Karinthiam contra ducem Meinhardum et sine victoria est reversus.

1293. Laugingenses¹ recesserunt a domino suo Ludwico duce Bavarie et Adolfo regi Romanorum se dederunt.

1294. In die purificationis Ludwicus dux Bavarie obiit. Item Rudolfus filius Ludwici promisit contrahere cum filia regis Adolffi, sicut et contraxit, et deinde cum eodem rege in expeditionem in terram Mynensem processit.

1296. Fames validissima fuit, ita quod modius Monacensis siliginis vendebatur pro 5 libris d., modius avene pro 3 libris. Rudolfus dux Bavarie occupavit castrum Mergartaw², cuius confines exinde per reysanos³ destruebantur, et tamen idem castrum per Rudolfum ducem destructum est. Ludwicus filius Henrici ducis Bavarie obiit.

1) Lauingen a. D. 2) Mergentau südöstlich von Augsburg.

3) Wohl mit rais, raisa = Kriegszug zusammenhängend, vgl. Schmeller II, 139.